

corpori apposta id calefacere, sed diuersa ratione, gradus in qualibet qualitate constituere. Et quidem, monente Auerroe *b* per modum comparationis corpori temperato. In qualibet vero qualitate *c* gradus quatuor constituuntur, qui in primis tantum facultatibus à temperatura dependētibus ordinati sunt. Sed qua ratione medicamentorum ordines inueniantur, explicandum. Licet ex Arabibus Alchindus peculiarem habeat sententiam, vti videre est apud Auerr. *d*, qui ex duplatione unitatis inuenire posse censuit: ea tamen sententia cū ab Auertoe refutetur, eo quod plures possint dari gradus, hac opinione relicta, Galenum sequamur. Quare inueniuntur ex effectibus sensui manifestis, docente Galeno, quem Auerr. sequitur. Nam si medicamentum aliquod à temperato recesserit, vel paulum recessit, vt vix aduertatur, vel recessit sensibiliter. Exemplo caliditatis ostendamus. Quod si medicamentum aliquod calidum à media temperie ad caliditatem paululum declinarit, ex primo erit ordine calefacientium, vt si chameleon applicetur parti, leuis caliditas e persentietur. Si recedat sensibiliter, vel fit absq; dolore, vel cum dolore. Si absq; dolore, est secundus gradus, vt si sumamus semina anisi, & contusa corpori applicemus, caliditatem persentiemus, sed absque dolore. Si cum dolore, vel lædet cum corruptione vel sine corruptione. Si sine corruptione, tertius erit gradus. A talibus enim licet dolor fiat, non tamen manifeste partem corrumpit, sed intempere quadam occulta & non manifesta continuum soluit. Si cum dolore & corruptione afficiat, quartus erit

b 5. col. 3.
c 3. simpl. 13.

d 5. col. 52.

e Galen. 2.
simpl. 27.